

Vd
3137





h. 59, 27.

Vd
3137

PACIS,
IN
SAXONIA
DIVINA ADIVTRICE
GRATIA REPARATAE,
BENEFICIUM EXOPTATISSIMUM
IN LYCEO SORANO
MENTE GRATISSIMA CELEBRANDUM
INDICIT
DE
ROMANORVM SUPPLI-
CATIONIBVS
PAVCA PRAEFATVS
M. CAROLUS FRIDERICUS PUDOR,
RECTOR.

Soraviae d. XXI. Mart. ClōDCCCLXIII.

Stanno Bachmanniano.

PACIS

In

SAXONIA

DIVINA ADIVITIS

GRATIA REPARATA

BENEFICIVM EXORTATISSIMVM

IN ECCLESIA

MENTE GRATIA



ROMANO

CANTONIBVS

PACIS REPARATAE

M. CAROLVS FRIDERICVS REX





andem aliquando illuxit dies illa;
gentibus, ac populis longe exopta-
rissima, quam, ut caelitus exorire-
tur, & iubare suo orbem desertum
iterum illustraret, omnes omnium
hominum preces & ardentissima
uota suppliciter a solo pacis aucto-
re, Deo, tam diu frustra flagitarunt.

Illuxit, atque cum illa pax; &, ut redeunte uerni
temporis amoenitate, reuiuiscunt, quae intermor-
tua

tua uidebantur, terra reuirefcit, laeta florum uiriditas, quocunq;ue oculos uertas, arrider, animalium repentium & uolatilium genera alacriter reuerfa, filuas cantu complent, omnis denique natura recreata uidetur: fic & haec lux omnes homines, faeuiffimi belli calamitatibus prostratos, fulgentiffimo pacis iubare erigit, recreat ac reficit. Reuiuifcimus, poftquam is, qui in potestate fua tenet Regem, ac populorum corda, in cuius manu bellum & pax, eam terrarum Dominis mentem immifit, ut parcerent miferiis operto generi humano, atque defifterent a bello tam diuturno, cuius flamma mifere uexauit gentes, neque multorum fanguine, neque plurium annorum labore reftingui potuit. Aperit fibi ad omnium cor noftrum ineffabilis gaudii fons & fcaturigo, manant iterum riuli uitales, quibus & praefentium malorum fenus, & futurorum metus, uias adhuc intercluferat, manant, & nouam quafi uitam in omnes reipublicae partes late diffundunt. Omnes redundantem & foras erumpere geftientem laetitiam ore, uultu & oculis indicant. Omnis aetas, omnis fexus in tanti gaudii communionem uenit, & DEO ifti, cui iftud bonum debetur, gratus gratias perfoluit maximas. Gratulantur fibi, & omnibus laetitiis incedunt, agricolae, quod faeuire defuit temporum illorum atrocitas, quibus fruftra ipsis fuerat arandum, quibus totius anni laborem, laetam fperem melfis, hoftiles exercitus unius horulae momento conculcauerant, quibus peregrinus metebat,

ubi

ubi non fuerat. Nullus est, qui amplius timeat,
ne pecore abacto, bonis direptis, domunculam ex-
cidio, rufis & flammis datam lugeat, atque ipse
omnium inops, cum misera coniuge, & liberis, sedi-
bus suis expulsus, incertus uagari & errare cogatur.
Sedulus & securus parat colere agrum, in quo paulo
ante densata cadauera conspiciebantur, quem inter-
fectorum sanguis foedabat & castrorum tractus te-
gebant. Laetus obliuiscitur malorum, quae tot per
annos aetas sua pertulit, spe ista suffultus, non ite-
rum fore, ut quicquid paupertati ipsius uis, & libido
hostilis parca manu reliquerit, ab hoste abreptum
lugeat. Non quauis, etiam incerti, rumoris fama
exaudientur uoces miserabiles per urbes; non puluis,
e longinquo ortus, uano, ut fit, ingruentis calamita-
tis nuncio ciuitates terrebit; non hostis aduentus,
non cursus armatorum per plateas interrumpet ci-
uium res priuatas, non peregrini intrabunt domos, &
ab opere, quo misera uita aegre tolerabatur, cessare
cogent. Neutris amplius uerendum est, ne ex suorum
complexu auulsi, in captiuitatem abrepti moereant.
Leges, quae siluerant inter arma, os uenerabile ite-
rum aperiunt, & sua iura reuerenter obseruari iubent.
Deus enim sceleribus nostris merito diu iratus, iam
placatus est generi humano, & quam terris auoca-
nerat, laeta pax rediit.

iam satis terris niuis atque dirae
 Grandinis misit pater & rubente
 Dextera sacras iaculatus arces
 terruit urbes,

Vt breuiter dicam, non perferendae erunt amplius miseriae, quae morte multo grauiores fuerunt, & quas se uerbis nemo exaequare posse confidat. Semper enim iustum minuendi metum faciunt ea, quae amplificandi spem sua magnitudine sustulerunt. Sed me a conspectu malorum, quae nostra tot per annos uidit aetas, auertam, ne intuendis illis renouetur pristinus dolor, nec commemorabo illa, ne digitum semper intendendo ad partes afflictas, iisque contrectandis, recrudescat uulnus quod uix conseruisse uidetur. Interea tangenda fuerunt mala ista, ut bonorum praesentium magnitudo melius inde elucescat. Nam, ut ueris clementia, atque amoenitas minus exhilararet animos nostros, nisi eam hyemis rigor et asperitas antecessissent: ita minus omnes huius pacis iucunditatem ac dulcedinem sentiremus, nisi eam cum superiorum temporum tristitia et acerbitate compararemus. Laetemur potius praesentibus bonis nostris, laetemur et gratulabundis uocibus gratias agamus pacis reconciliatori Deo, cui soli felicitatem nostram in acceptis ferimus; laetemur atque obsecremus summum Numen, ut istud gau-

gaudium, et nobis, et nostris patiatur esse sempiternum. Si uero ulli, certe scholae nostrae, graues et multae laetandi, et gratulandi causae extiterunt. Contigit enim illi esse tam felici, ut in hac communi bellorum ui, et strepitu libera maneret a calamitate ista, quae permultas perculit, et solitudinem, ac uastitatem adtulit. Non miles turbauit circulos nostros, atque, nobis abire iussis, domicilium in schola collocauit. Haud turbati res nostras agere potuimus, et in hac miseriarum communiōe ex litteris solatium nobis petere. Licuit haud turbatis mentes prostratas erigere isto:

O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem. Verum enim uero, si in sola felicitatis nostrae laetitia uellemus subsistere, nec Deo nostro gratias persolvere, unde tanta nobis bona obtigerunt, iniurii profecto essemus in hanc diuinam summi Numinis benignitatem et indigni omnino, in quos tanta beneficia tam liberaliter contulisset. Ipsi gentiles, ueri Dei signari, exemplo nobis praeiuerunt, quod a ueri Numinis cultoribus negligi turpe esset. Etenim tam in secundis, quam aduersis rebus supplicationes Deastris suis decreuerunt. Videamus, quantum scriptiunculae huius modus fuerit, hanc supplicandi rationem, adhibitam a gentibus, ueri cultus diuini expertibus, ut, quid nostram pietatem, meliora diuinitus edoctam, deceat, luculentius inde appareat. Vti uero ordine procediamur, supplicatio fuit caeremonia populi romani, qua ex S. Consulto uel Diis gratias agerent pro magno

gno beneficio, uel pacem illorum exposcerent; haud
 dubie ita dicta, quod in aduersis potissimum, strati
 et supplices ueniam irarum coelestium expeterent.
 Ex dictis igitur facile intelligitur, duplex potissimum
 supplicationum genus fuisse. Alterum institutum
 fuit ob res laetas, bello feliciter gestas, qui ritus pro-
 prio sibi nomine gratulatio uocatur; ut luculenter
ad Div. XI.
18. testatur locus Ciceronis: hac tam recenti gratulatio-
 ne, quam Diis ad omnia templa fecimus. Alterum
 genus usurpatum fuit in rebus tristibus, quando Dii
 rogabantur ut mala auerterent, cui & obsecrationis
Liv. IV. 21. nomen fuit. Liuius, obsecratio, inquit, a populo
 Duum uiris praeuentibus est facta; atque alio loco:
 supplicatio ex senatus consulto indicta; ubi primum
 illud factum in rebus secundis, hoc in aduersis. Sed
 reuertamur ad gratulationes, quae sunt proprie gra-
 tiarum actiones. Ut omnia bene, & sapienter Ro-
 mani cum Diis inceperunt, ita nec sine iisdem quic-
 quam finiendum statuerunt. Nulla igitur res ma-
 ioris momenti fuit peracta, pro cuius felici succes-
 su Diis non gratias egissent. In primis id publici
 moris fuit in rebus, bello feliciter gestis. Nulla in-
 signis uictoria occurrit, cuius causa supplicationes
Liv. III 63. non sint publice decretae. Sic fufis Sabinis, re be-
X. 21. ne gesta aduersus Samnites, uictoria de Gallis reper-
XXXI. 22. tata, deuicto Perseo, supplicationes Romae fuerunt.
XXXXV 2. Adeoque id semper factum uidemus ob res, foris be-
 ne gestas. In solo Cicerone id neglectum apparet;
 cui uni hoc contigit, ut propter rem domi gestam,
 sup-

supplicatio ei decerneretur. Ita enim ipse: caeteris
 semper, inquit, bene gestae, mihi uni conseruatae *Catil. IV.*
 reipublicae gratulationem decreuistis; et in eadem *10.*
 oratione: meo nomine supplicationem dereuistis; *Cap. 3.*
 qui honos togato habitus ante me est nemini. De-
 cretae uero fuerunt hae gratulationes non uiris, per
 quos uicerant, sed Diis. Quoniam autem uictori-
 bus litterae de re gesta ad senatum mittendae erant,
 quibus supplicationem peterent, & in Senatus con-
 sulto nomen uiri exstabat, cuius in primis opera
 res feliciter cessisset: factum est, ut, qui Diis propri-
 us dicatus diceretur, eum honorem sibi homines uin-
 dicarent, atque, victoria reportata, sibi supplicati-
 ones decerni postularent. Multum igitur ritus, ut genti-
 lium omnia, trahebat ex uano, atque ea in re suae quis-
 que ambitioni potissimum seruebat. Qua de causa
 adeo cupidi fuerunt supplicationum, ut, quando mo-
 ram Senatus interponebat, nihil omnino omitterent,
 quo fore sperarent, ut calumnias eludant. Ciceronem
 quidem legimus in epistolis instantissime rogare *ad Div. III.*
 Pulchrum, ut supplicatio ipsi quam honorificentis- *9.*
 sime, quam primumque decernatur, Atque hic ho-
 nor, auctoribus, Liuiio, & Cicerone, in potestate fuit *Liv. III. 63.*
 Senatus, nec cuiquam, Senatus consulto non exstan-
 te, potuit haberi. Perraro factum reperimus, ut
 nimia populi laetitia non exspectaret, dum a Senatu
 decerneretur; e. c. fufis Sabinis, cum maligne in *III. 63.*
 unum diem supplicationes indictae essent, populus
 iniussu, et altero die, frequens iit supplicatum; & Ve-
 b iis

- V. 23. iis captis, prius, quam Senatus decerneret, plena omnia templa Romanorum, matrum, grates Diis agentium, erant. Fuerunt hisce diebus festis omnium Deorum templa aperta, & qui maxime pius in
- XXI. 2. DEOS haberi uolebat, is adibat omnia. Itaque, postquam Perseus deuictus erat, consul edixit, ut omnes aedes sacrae aperirentur, pro se quisque ex concione ad gratias agendas iret Diis. Neque ad istos solos, qui Romae degebant, hic cultus diuinus pertinuit, sed interdum et finitimi populi in religionis societatem, et communionem uocati. Liuius non tribus tantum, inquit, supplicatum ire placuit, sed finitimos etiam populos. Et quoniam templa capere non potuissent, multitudinem ex distantibus locis confluentem, ordo iis, quo quisque die supplicarent, est constitutus. Fuit ista sollemnitas non unius, eiusdemque temporis interuallo adstricta, sed, quo quaeque res, feliciter gesta, praeclarior esset, eo longius supplicatum est; quippe in uuum, tres quatuor, et, crescente hominum ambitione, in quindecim, etiam in quinquaginta dies, supplicationes sunt decretae.
- XXXIII. 24. Sic ob res in Thessalia prospera gestas, ob deuictum
- XXI. 2. Perseum quinque dies supplicatum est; ob Gentium regem, captum triduum. Cneio Pompeio, mithridatico bello confecto, duodecim; Caesari, bello Gallico quindecim; et Caesari Octauiano, Mutina colonia liberata, quinquaginta dierum decretae sunt; ubi in decernendo in primis istorum hominum opes, et potentiam respexisse uidentur. Quem ea in re aucto-
- cto.

Storem secuti sumus, Liuius porro docet, Diis insu-
 per istis diebus sacrificatum fuisse, non tamen semper,
 nec Diis omnibus. Id, quod ex silentio scriptoris,
 hac quidem in re, bene colligi posse putauerim.
 Cum enim tam curiosus fuisset in describendis sup-
 plicationibus, ut, et dierum numerum ubique adde-
 ret, haud credibile uidetur, eum neglecturum fuisse
 sacrificia, si semper adhibita fuissent. Accedit, quod
 idem scriptor in obsecrationibus sacrificia disertis
 uerbis a supplicatione seiungit. Nam, prodigiorum
 causa senatum censuisse, dicit, ut consules maioribus *L. v. XXXVII.*
 hostiis, quibus Diis uideretur, sacrificarent, et, ob u-
 num in primis, ex responso aruspicum supplicatio-
 nem solam populo in unum diem edicerent, et ad
 omnia puluinaria res diuinas facerent. Sed iam
 undecima pagella procedit, transeundum igitur et ad
 alterum supplicationum genus, cui & obsecrationis
 nomen fuit; ne chartae spatium exclusi, silentio illud
 praetermittere cogamur. Vsu receptum erat apud
 Romanos non tantum imminenti periculo precibus
 occurrere, sed & praesentis mali onus abiicere. Sup-
 plicibus precibus nihil efficacius putabant, ad ueniam
 irarum caelestium exposcendam. Exemplis esse
 possunt, ut alia omittam, supplicationes prodigio-
 rum auerruncandorum causa indictae. Postquam *XXXIV. 45.*
 aliquando Romam nunciatum erat, Interamnae lac-
 fluxisse, pueros ingenuos Arimini sine oculis, & naso,
 & in Piceno agro non manus, non pedes haentem,
 natum, supplicatum est, Mures alio tempore in aede *XXVII. 23.*

III. 7. Iouis aurum roserant, prodigii auerruncandi causa, supplicatio indicta. Itidem ad DEOS populum, ac uota, uertit, inops senatus auxilii humani, cum magna Romae facta morbo strages, cum uno, qui supererat, consule mortuo, & per ignota capita lata euagata est uis morbi. Ad id, quod tum sua quemque mala co-gebant, auctoritate publica euocati, omnia delubra implent, stratae passim matres, crinibus templa uerrentes, ueniam irarum coelestium, finemque pesti exposcunt; quorum illa satis demonstrant, Romanos supplicatum iuisse in imminenti periculo metu, hoc idem eos fecisse euincit in malis ipsis. Ut igitur ob res laetas Diis gratias actas uidemus: ita in malis obsecrarunt, ut illa Dii auerterent. Sed non minus, quam in gratulationibus, senatus consultum praeceffit. In loco Liuii, supra laudato, uocatur auctoritas, non senatus, sed publica; quod, quoniam idem scriptor aliis locis per Senatus consultum exprimit, unum idemque cum eo est. Inter auctoritatem uero Senatus, et Senatus consultum, magna differentia intercedit. Hoc indicat Senatus sententiam uniuersi, in quantum nec intercessione tribunicia impedita, nec aliam ob causam uitiata est; alterutrum ubi accidit, Senatus auctoritas uocata est. Neque uero, ut in gratulationibus, sic et in obsecrationibus omnia templa patuerunt; sed nunc unum, nunc plura. Cum enim aliquando, praeter caetera prodigia (adeo minimis etiam rebus praua religio inserit Deos, secundum eundem Liuium) foro

boa-

boario bos in tertiam contignationem sua sponte e-
 scendisset, atque inde, tumultu habitatorum territus,
 sese deiecisset: procurandis sacris prope tota ciuitas
 operata fuit, et supplicatio ad aedem Herculis indi-
 eta. Atque adeo putauerim obsecrationes diuidi pos-
 se in particulares, quae uni soli, uel nonnullis Diis
 decretae, et in generales, in quibus ad omnia tem-
 pla supplicatum; quod, quoniam auctoritas non sub-
 est, de gratulationibus dubium uidetur; quanquam
 in uulgaribus compendiis sic et has diuisas deprehen-
 di. Ego uero nullum exemplum apud antiquos reperi-
 re potui, quo et gratulationes particulares fuisse de-
 monstrarem. Praes suas Romani Deastris gratiores fo-
 re putabant, si se supplices proiecissent. Hinc uero si-
 mile est, uiros, genu nixos, deiecta ab humeris toga, ob-
 secrasse. Nam hic supplicantium gestus fuit, ut ui-
 dere licet in Augusto; et Hebraeorum, et Graecorum, *Suaton. in*
 et Romanorum mos fuit τῆ γομότητι ταπεινῶν ἑαυτῶν, *Aug. LII.*
 ut loquitur Plutarchus; matres stratae passim, crini-
 bus templa uerrentes commemorantur. Sacrifica-
 runt etiam Diis; sed sacrificia non semper cum ob-
 secrationibus coniuncta fuisse, nulla eget demonstra-
 tione, cum supra locum laudauerimus, ex quo illud
 satis elucesceret. Quando uero simul sacrificatum
 est, animalia immolanda hostiae dictae, in gratula-
 tionibus uictimae. In obsecrationibus occurrunt et-
 iam puluinaria, seu mensae cum lectis stratis; in qui-
 bus mensis apponebantur cibi Diis, tanquam uere
 coenaturis, qui inter pauperes diuidebantur, quan-

do aliquamdiu expositi steterant. Postea eundem honorem et ante aedes priuatas Diis placandis habitum, memoria proditum est. Norabile et hoc uidetur, non tantum in templis esse obsecratum, sed aliquoties etiam in locis aliis, ut in compitis, Pestilentiae cuiusdam causa supplicatum per compita tota urbe est. Idem ob aliam pestem factum in urbe, et per omnia fora. Etiam in Capenate agro ad Feroniae lucum supplicatio indicta; quoniam ibi quatuor signa sanguine multo diem, ac noctem sudauerant. Restaret, ut et de tertio quodam supplicationis genere dicerem, quod in funeribus decretum est. Sed ea in re uerbis non opus est, Nam quanquam diuersum uidetur ab modo commemoratis, facile tamen iisdem subiici potest. Difficultas rota expeditur, si dicamus, in his supplicationibus grates Diis actas pro beneficiis, quae ipsi per mortuum illum rei publicae tribuissent, uel pro benignitate, quod hominem publice priuatimque noxium euocassent, adeoque genus humanum a peste liberaissent, quae, si longius tolerata fuisset, ferrarum orbem euertisset. Sed finis imponenda disputationi est, quanquam multa supererant, quae addi, et potuissent, et debuissent. Veniendum enim est ad id, cuius causa haec sumus praefati. Vexata adhuc, et direpta misere est patria nostra, alias florentissima, belli diuturni atrocitate, et saeuitia; mala, quae bellum sequuntur, omnia cumulate sumus experti: iuuenilis aetas in captiuitatem abducta, deserta omnia, annonae et rerum

Liv. XXVII

23.

XXXX. 37.

XXVII. 4.

v.

*Ernesti in-
dex Cic. sub
voc. suppli-
catio.*



rum omnium caritas pressit, uentumque ad inopiae summum; morborum uis per capita multa longe, lateque dominata est; quicquid relictum fuit, sine capite, sine uiribus sub potestate hostium exigua in ipse traxit animam. Multiplici clade omne hoc belli tempus foedatum; quaeuis dies, nouis malis insignita, praeteriit. Potuit de nobis uere dici, quod scriptum est apud Prophetam: residuum erucae comedit locusta, & residuum locustae comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Atque, ut magis intelligeretur, id omne ultione diuina fieri, quoties in eo esse uidebatur, ut iam iamque componeretur bellum, & tranquillarentur omnia, in ipso portu fracta est nauis, utque fluctum fluctus, sic maiorem maior calamitas trahit. Multas igitur, & iustas causas adhuc habuimus, quare DEO, merito nobis irato, obsecrationes decerneremus, atque suppliciter precibus ardentissimis belli calamitosis finem exposceremus; non isto quidem supersticioso modo, quo se gentiles Deastris suis satisfacturos arbitrarentur, sed uia, Christi cultore digna. Neque id omisimus. Nam *Es. XXVI,*
 Jova in aduersis habetur tui cura! Irae diuinae magnitudo etiam parcos, & infrequentes DEI cultores perculit & supplices manus ad coelum tendere docuit. *16.*
 Nunc uero, pace diuinitus restituta, cedat gratulationi obsecratio, uincat laetitia luctum. Respexit enim DEUS obsecrationes nostras, audiuit preces, lachrymarum misertus est. Pro paterna sua misericordia castigauit nos DEUS, sed morti non tradidit, Vulnerauit,

uit, at medetur, percussit, at manus eius sanat, mortificat, at uiuificat. Gratias ipsi agamus in templis, non, ut gentiles, omnia percurrendo, sed animo, reuenter ascendente ad pacis datorem, DEUM, & rite complectente magnitudinem beneficiorum, quae nobis, & patriae, per pacem sunt tributa. Offeramus ipsi, non sacrificia gentilia, sed cor nostrum, diuina sua gratia renouatum; inferamus bellum peccatis nostris, quae tot malorum causae fuerunt, ne ira ipsius denuo exardescat, &, ne nos nouis bellis persequi cogatur. Quod si fecerimus, parceret nobis, ut pater filio, dispersa colliget, lapsa eriget, deprauata corrigit, infirma corroborabit, turbulenta componet, efficietque, ut abundantia reuertatur, quam peccatis nostris fugauimus. Et profecto faciet. Jam enim animo cernimus pristinam felicitatem nostram, et bonorum praesentium multitudine, et magnitudine, quasi quibusdam aliis sublata, cogitatione, et spe, ulterius prouolamus. Lachrymantes seminauimus, et exultantes metemus. Quod si moratur Deus pleno auxilio, non cessabit; uult magis magisque incendi preces nostras, et cogitare debemus, bene agi cum iis, qui grauiter aegrotarunt, cum, etiamsi nondum recuperarunt pristinam firmitatem, salus tamen eorum in tuto est.

In

In primis obsecremus summum Numen, ut
AVGVSTVM Regem, **PA-**
TRIAE PATREM
 Optimum, ardentissimis ciuium suorum omni-
 um uotis tam diu uehementer desideratum,
 regali felicitate exsplendescentem, inter **SV-**
OS summe incolumem habitare, rebus que
 humanis diu adhuc interesse, totam uero
REGIAM DOMVM bonis omni-
 bus summis cumulatissime auctam, in aeter-
 num florere iubeat: beet etiam **COMITEM**
 nostrum Clementissimum omni felicitatis ge-
 nere, & in seram posteritatem ad nostram, et
 ciuium omnium laetitiam, saluum, atque in-
 columem conseruet. Erigat denique, ac re-
 creet, Patriam carissimam, quam tanti, tam-
 que diutini belli calamitas prostratam tenuit.
 Eodem, et faciendarum precum, et gratia-
 rum agendarum officio laeta perfungetur

c

fcho-

70 3137 (231280)

schola nostra actu oratorio, in quo et nos, et aliquot disciplinae nostrae alumni pacis restaurat. e bonum grati celebrabunt. Quam solemnitatem, cuius dies separatim indicabitur, uti praesentia sua ornare uelint, qui patriae, litteris, atque etiam nobis fauent, obseruantissime rogamus. TV uero summe PATER, preces, et gratias nostras ita ratas habeto, uti omnium bonorum fons et scaturigo es, utique Tuus Te nobis filius morte sua placauit.

Redibit nobis CVM paCe sol et fortVna.



M.C.







Vd
3137

27.
PACIS,
IN
SAXONIA
DIVINA ADIVTRICE
GRATIA REPARATAE,
BENEFICIUM EXOPTATISSIMUM
IN LYCEO SORANO

MENTE GRATISSIMA CELEBRANDUM
INDICIT

DE
ROMANORVM SVPLI-
CATIONIBVS

PAVCA PRAEFATVS
M. CAROLUS FRIDERICUS PUDOR,
RECTOR.

Soraviae d. XXI. Mart. ClOCCCLXIII.

Stanno Bachmanniano.

